


Christian Heinrich Breuning

**Interpretationis Ex Herennio Modestino**

**Specimen III : ... Epistola Gratvlatoria Ad Virvm ... Fridericvm Schoenberg  
Zittaviensem Lvsatvm**

Lipsiae: Ex Officina Langenhemiana, [1753?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870654055>

Band (Druck) Freier  Zugang











K. K. — 1 (49.)












57 N<sup>o</sup> 8

H. Breuningii Dissertationes  
et Programmata.

XLIX.







5.  
[3]

SPECIMEN III.  
INTERPRETATIONIS  
EX  
HERENNIO MODESTINO  
C V I  
PRAEMISSA EST  
EPISTOLA GRATVLATORIA  
A D  
VIRVM PRAENOBILISSIMVM  
DOCTISSIMVM  
FRIDERICVM SCHOENBERG  
ZITTAVIENSEM LVSATVM  
A COLLEGII DISPVTATORII  
SVB PRAESIDIO  
VIRI CONSVLTISSIMI AMPLISSIMI  
EXCELLENTISSIMI  
D. BREVNINGII  
HACTENVS INSTITVTI  
SOCIIS  
MISSA.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



31  
SPECIMEN IN  
INTERPRETATIONIS  
EX  
HERENNIO MODESTINO  
C.V.L.  
PRÆMISSA EST  
EPISTOLA GRATULATORIA  
A. D.  
VIRVM PRÆNOBILISSIMVM  
DOCTISSIMVM  
FRIDERICVM SCHOENBERG  
MAGISTRVM LEGVM  
A COLLEGGI DISPVTORII  
SVB PRÆSIDIO  
VIRI DOCTISSIMI AMPLISSIMI  
EXCELLENTISSIMI  
D. BR E V N I N G I I  
HACTENVS INSTITVTI  
SCOLIS  
M.D.C.C.C.  
LIBRARIÆ  
MAGISTRVS LEGVM



V I R  
PRAENOBILISSIME DOCTISSIME

**Q**uo arctius est vinculum, quod inter TE et nos  
hactenus intercessit, eo incundius officii  
nostri ratio a nobis habetur. Vidimus TE  
et audiimus eruditionis TVAE documenta publice  
edere, interfuimus testes partae TVAE gloriae. Qua-  
propter pie gratulamur et optamus, ut iam fructus TVAE  
industriae capias. Discedis a nobis, sed humaniter rogamus,  
tantum ut corpore discedas, animo vero semper sis nobiscum.  
Abi itaque feliciter, expectat TE Patria dulcissima, ex-  
pectant TE TVI DESIDERATISSIMI. Beati  
Numen TVOS conatus; sed semper firmiter amicitiam no-  
stram hactenus confirmatam sanctissime cole, nec intermitte,  
ut animo amico nostram perpetuo memoriam recolas, quod  
in recolenda TVA memoria nos nunquam non facturos san-  
cte pollicemur. Vale. Nobis vero omnibus, qui TE ama-  
mus, faue. Dabamus Lipsiae d. 11. Martii. CIO IOCC LIII.





HERENNIUS MODESTINVS  
D E  
EXCVSATIONIBVS  
LIBRI I.  
FRAGMENTVM III.  
LEX II.  
QVI PETANT TVTOR. VEL CVRATORES.

Εάν οι ἀφήλικες μὴ ἔχωσι  
τοὺς ἐκ τῶν νόμων κηδεμό-  
νας; εἰ μὲν ἐπιτρόπων δέονται  
διὰ τὴν ἡλικίαν, δύναται αἰτῆσαι  
αὐτοῖς ἐπιτρόπους κατασαθῆναι

Si minores non habent eos,  
qui ex legibus sunt defen-  
sores: Si quidem tutoribus in-  
digent propter aetatem possunt  
petere eis tutores constitui co-

οἱ τε

COMMENTARIVS.

(ἀφήλικες) notat *Ant.* AVGVSTINVS *b. l.* dici apud Modestinum his verbis  
minores eos, qui adhuc impuberes sunt, ubi tamen minores paulo post  
eos dixerat, qui quidem *puberes*, sed *minores* viginti quinque annis. Ra-  
tio vero posita esse in eo non videtur, quod eadem fere causa sit curatoris  
petendi, postquam D. Marcus statueret, *ut omnes adulti etiam non redditis*  
*rationibus haberent curatores*, quod post alios exposuit *Io. Hieron. HETZER.*  
*Diff. ad Leg. Laetoriam*, potius etiam interdum vulgi sermones secuti *ICTi.*  
*ἐκ τῶν νόμων κηδεμόνας.*) Nulli alii sunt ii defensores ex legibus, quam *agnati*,  
quibus *LL. XII. Tabularum tutela delata erat*, ut scribit *VLPIANVS*  
*L. I. π. de tutel. legit.* Sanciuerant enim *Decemviri: SI PATER FAMI-*  
*LIAS INTESTATO MORITVR, EIQVE IMPVBES SVVS EXTABIT*  
*HERES, AGNATVS (GENTILISVE ut recte monuit Franc. HOTMAN-*  
*NVS et alii, ob communionum sacrorum gentilitiorum, quodque demum*  
*sacra familiae ad Gentiles recidebant) PROXIMVS TVTELAM NANCI-*  
*TOR.* Ita enim verba exhibet *Iac. GOTHFREDVS in Quatuor Fontibus*  
*Iur. Civil. in LL. XII. Tabul Tab V. Leg. III.* Monet praeterea *Christf.*  
*Gotfr. HOFFMANNVS ad LL. XII. Tab. b. l. in Histor. Iur. Vol. II. p. 200.*

non



οἱ τε συγγενεῖς, καὶ οἱ κατ' ἐπι-  
 γαμίαν οἰκείοι γονέων ἀρρένων τε,  
 καὶ θηλείων: δύνανται καὶ Φι-  
 λοὶ τῶν γονέων, καὶ τροφεῖς  
 αὐτῶν τῶν παίδων, τοῦτο αἰ-  
 τῆσαι.

gnati et qui secundum affinita-  
 tem sunt familiares parentum  
 masculorum et feminarum:  
 possunt et amici parentum et  
 educatores ipsorum puerorum  
 hoc petere.

§. I.

## COMMENTARIUS.

non mirum esse, quod iure nouiori nulla amplius gentilium mentio fiat, quod gentilitatis cura in desuetudinem abiissent. Sed quare id factum? Tanta erat Romanarum familiarum commixtio et confusio, tot gentium interitus et oppressiones imperatorum saeuitia, vt vix quisquam suos amplius agnosceret gentiles. Neque nominis solius conuenientia quidquam efficiebat, cum liberti Patronorum nomina gentilitia sua faciebant. Neglexit praeterea posterior aetas omnem prope curam sacrorum, idque fraude ipsorum Magistratum, maxime Praetoris omnia diuina humanaque iura euertentis, de quo dedit quaedam, praeter AVERANIVM in *Interpret. Iur. Ciu. L. I. cap. VI. Io. Theoph.* HEINECCIUS in *Hist. Iur. L. I. §. contra CORTIVM in Vindic. Iur. honor.* cuius tamen causam hastenus frustra suscepisse videtur *Illustr. RITTERVS in Not. ad Heinecc. Hist. Iur. c. I.* Inde vero tot senes coëmtionales, quorum ope sacra interibant, tot hereditates ex Iure Praetorio sine sacris translatae, quod pecuniam contra Pontificum iura, quae refert CICERO *de LL. Lib. II. c. 21.* a sacris separabant. Intercidere ergo sacra et gentilitia et familiarum, intercidit ergo gentilium fauor, licet nulla lege, magis tamen moribus. Accessit tandem veritas diuino ore promulgata, quae omnem illam sacrorum superstitionem et nubeculas excussit, vt omnis fere gentilium studium, quos tamen sola adhuc fere inter se sacra iuncta haberent, euanuerit. At reiectae quidem sunt hac ipsa veritate agnita causae, quae in superstizioso sacrorum cultu latebant, retinuit vero Christiana aetas omnes pene effectus, vt ne quidem agnatos et consanguineorum iura negligeret. Ex hoc ergo fonte tutelae adhuc agnatis deferebantur, at eo demum tempore, si parentis cura impuberibus non prospexerat lege antiquitus in comitiis calatis lata, postea adhibitis testibus, cui legi parentis omnino iura decemuiralia vim et auctoritatem firmauerant: VTI PATER LEGASSIT SUPER PECVNIA TUTELAVE REI SVAE, ITA IUS ESTO. Deficiente vero Paterna dispositione, rediit tutela ad agnatos, his aequae deficientibus, demum dandus erat tutor a magistratu. Sed cum ipsi pupilli petere non possent sibi tutores, petendi erant ab aliis, qui vel pietate sola et humanitate se obstrictos putabant; vel quibus leges petendi necessitatem iniunxerant, seu vt Modestinus exprimit: οἷς ἐπανάγκης ἐστὶν αἰτεῖν ἐπιτρόπους. Vtrasque personas iam refert noster. *b. §.*



§. I. Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι ἐν-  
προαιρέσεως αἰτοῦσιν ἐπιτρό-  
πους. Εἰσὶ δὲ τινες, οἷς ἐπά-  
ναγκες ἐστὶν αἰτεῖν ἐπιτρόπους,  
οἷον μήτηρ, καὶ ἀπελεύθεροι ἐν  
τούτων γὰρ αἱ μὲν ζημιοῦνται·  
οἱ δὲ καὶ κολάζονται, εἰ μὴ  
αἰτήσωσι τοῦς ἐν τῶν νόμων κη-

§. I. Alii igitur voluntate  
petunt tutores. Sunt autem  
quidam, quibus necesse est  
petere tutores, puta mater et  
liberti: ex his enim illa da-  
mnum patitur: hi autem pu-  
niuntur, si non petierint eos,  
qui ex legibus defensores sunt.  
δεμόνας.

## COMMENTARIUS.

συγγενεῖς.) Recte *cognati*. Si enim agnati adessent, adesset et legitimus defen-  
sor. Haec quidem vox iam aliquantum latior est, ut de συγγενεῖα docet  
THEOPHILVS *Paraphr. Lib. I. Tit. XV. §. I.* qui, ἡ συγγενεῖα ὄνομα ἐστὶ  
γενικὸν ait, quique συγγενεῖς in Inscriptione Tituli pro *agnatis* vsurpauerat.  
Quare DIODORVS SICCVLVS *Lib. XII.* vbi de lege CHARONDAE de  
tutoribus late disputat, cognatos et agnatos separat adiecta ea persona ex  
qua vinculum oritur, quare hos συγγενεῖς ἀπὸ τοῦ πατρὸς, illos ἀπὸ μητρὸς  
συγγενεῖς vocat. Quae vero ratione agnatorum Graeci statuerunt et vnde  
ipsi agnati dicit, exposuit OISELIVS *ad Cuii Instit. L. I. Tit. VII. §. I.* et  
ALEXANDER *ibid.* Recte tamen fere vbi Theophilus de *agnatis* disputat,  
separat eosdem a *cognatis*, vocabulis Romanis in linguam suam receptis:  
hinc ἀδνάτους habet et κοινάτους. Vbi vero IVSTINIANVS *Nouell. CXVIII.*  
4. et 5. omnem differentiam inter agnatos et cognatos, quam sancte anti-  
qua iura coluerant, sustulit, haud amplius tam anxie inter se seiungendi  
et separandi videntur, si forum spectes, quodque ibidem dapes ferat.

μήτηρ.) In epitomen redegit haec LEO *Basilik. L. XXXVII. Tit. VI. Tom. IV.*  
p. 830. verba sunt: "Ὅτι μήτηρ καὶ ἀπελεύθεροι ἐξ ἀνάγκης αἰτοῦσιν ἐπίτροπον τῷ  
ἀφύλακτι· ἡ μὲν γὰρ μήτηρ ἐκπίπτει τοῦ κλήρου τοῦ παιδὸς, ἀδιαθέτου τελευτήσαντος,  
εἰ μὴ ἐπιτροπὴν αἰτήσῃ. Οἱ δὲ ἀπελεύθεροι διὰ κακίαν ἢ ἀμέλειαν μὴ αἰτήσαντες,  
κατηγοροῦνται καὶ σφοδρῶς κολάζονται. i. e. Mater et liberti necessario tutorem  
minori petunt; quippe mater filii, qui defunctus est intestato hereditate cadit  
nisi tutorem petierit. Liberti vero, qui propter malitiam vel negligentiam  
non petierint accusantur et acriter puniuntur. Quicquid vero hic de matre  
dictum; id descendit ex *Epistola D. Seueri ad Cuspium Rufinum*, quem ma-  
le alii libri *Cuspium Vspium* vocant. Explicauit omnium optime hanc  
ipsam constitutionem VLPPIANVS *L. 2. §. 23. ad SCtum Tertullian.* Hoc  
enim SCto mater, cui erant iura trium liberorum, (cuius iuris originem  
habet *Io. Theoph.* HEINECCIUS in *Comment. ad L. Pap. Popp.* quique in  
solo trium Horatorum fauore et memoria quaerendus,) si ingenua, vel  
quatuor, si libertina, ad successionem ab intestato vocabatur. Iam con-  
stituerat Seuerus, ut SCtum hoc cessaret, quoties mater tutorem impu-  
beribus petere vel plane neglexerat, vel non satis idoneum petiisset. Re-  
scripsit



δεμόνας. Ἡ μὲν γὰρ μήτηρ ἐξε-  
λαύνεται τῆς τοῦ παιδὸς νομίμου  
κληρονομίας ὡς οὕσα ἀναξία λα-  
βεῖν κληρὸν νόμιμον, μὴ φροντί-  
σασα αὐτῷ κατασαθῆναι ἐπι-  
τροπὸν. Καὶ οὐ μόνον, εἰ μὴ  
αἰτήσῃ· ἀλλὰ καὶ ὅν ἂν αἰτή-  
σῃ ὅσας χάριν, αἰτήσῃ τὸν ἀφε-

Mater enim expellitur a legi-  
tima filii hereditate, quasi  
existens indigna accipere he-  
reditatem legitimam negligens  
ei constitui tutorem. Et non  
solum, si non petierit, sed et  
si puritatis gratia petierit eum  
qui dimitti poterat; dein  
γέντος

## C O M M E N T A R I V S.

scripsit iam ante prope ad hanc constitutionis dispositionem Imperator  
ANTONINVS L. 3. C. qui pet. tut. et bellissime ALEXANDER A. L. 6.  
C. eod. cum Otaciliae rescriberet, qui; quos tutores peteret, quaesiverat,  
pietati maternae id iudicium tribuit. Extendit tandem hoc ius Imp. ZE-  
NO ad matres naturales, vt et hae naturalibus liberis suis tutores petant  
adiecta sanctione vt habet L. 11. C. eod. nullam eis ignorantiam iuris ad  
evitanda legibus vel sacris constitutionibus definita, si petitionem tutorum mi-  
nus curauerint, profuturam. Cessat vero interdum ea poena et praeter-  
mitto exceptiones, quas attulit VLPIANVS cit. L. 2. ad SCtum Tertyl.  
aliam vero exceptionem habet TRYPHONINVS in L. 4. π. b. t. Maritus  
coniugi suae fideicommissum reliquerat a filio vel SI SINE LIBERIS  
DECESSERIT vel SI INTESTATVS MORTVVS ERIT. Coniux siue  
mater tutorem non petit: quaerebatur, vtrum fideicommissum petere pos-  
sit, an vero ex constitutione repellatur mater a petitione fideicommissi.  
Sed respondet ICTUS: fideicommissi petitionem peremptam non esse, addita ra-  
tione, quod ex alieno iudicio descendat. Aliud enim iudicium, si ab inte-  
stato mater succedat liberis, aliud si per fideicommissum ex testamento  
mariti seu patris defuncti filii eidem quid relictum sit. Aliud thema ha-  
bent Imp. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS in L. 3. C. eod. De-  
derat mater procuratorem, qui ipsius nomine tutorem liberis suis impu-  
beribus peteret; procuratore a latronibus occiso, tutor non datur, sed  
impuberes decedunt. Quaerebatur, an mater in poenam constitutionis  
incideret, cum nullum petierit tutorem. Id perdurum videbatur Impe-  
ratoribus, vt in poenam incideret, quippe nullum matris vitium inter-  
cesserat, idque potius casui dandum. Quod vero de tutoribus iam dispo-  
situm, ad curatores extendi nequit, quapropter recte MODESTINVS L. 1.  
π. b. t. eam in hac causa differentiam in tutore et curatore petendo sta-  
tuit: nisi quo casu impuberi curator petendus est, quale exemplum habet  
PAVLVS in L. 15. π. de tut. et curat. dat. et secundum ea rescripsit ALE-  
XANDER in L. 6. C. eod.

ἐπιπέλευστος.) Et sic secundum haec rescripsit quoque ANTONINVS in L. 2.  
C. qui pet. tut. et Epaphroditum libertum monet, vt tutorem petat et eo-  
rum



θέντος αὐτοῦ ἢ καὶ ἀποβληθέν-  
τος, ἄλλον μὴ αἰτήσῃ πάλιν· ἢ  
ἐξεπίτηδες καινοῦς αἰτήσῃ· Ἀπε-  
λεύθεροι δὲ ἐκ τούτων τῶν αἰ-  
τίων κατηγορηθέντες ἐπὶ τοῦ  
ἡγουμένου κολάζονται ἐπισρε-  
φῶς· εἰάν Φαίνωνται, ἢ διὰ ἀμέ-  
λειαν, ἢ διὰ κακίαν, μὴ ἡτηκό-  
τες.


dimisso eo non petierit rur-  
sum; vel ex studio malos  
petierit. Liberti autem ex  
his causis accusati apud Prae-  
sidem puniuntur, vt emen-  
dentur: si apparuerint vel  
propter negligentiam, vel pro-  
pter malitiam non petiisse.

## COMMENTARIUS.

rum nomina edat, ex quibus tutor constituatur Patroni defuncti liberis impu-  
beribus, ne obsequii deserti periculum subeat; quod periculum exprimit  
Modestinus in verbis κολάζονται ἐπισρεφῶς, idque grauius vertit Ant. AV-  
GVSTINVS b. I. Io. LEVNCLAVIVS Notat. L. II. n. LVII. obseruat  
non retinuisse Basilicos libros vocem ἐπισρεφῶς, sed substituisse σφοδρῶς i. e.  
vehementer. Quid vero mirum, cum toties omnem pene verborum or-  
dinem et ipsa verba, exhibito saltem sensu, reiecerint.

δοσίας χάριν.) puritatis gratia habet interpretes barbarus in quibusdam editionibus;  
sic et in Norico esse monet Ant. AVGVSTINVS b. I. vbi alii contra pieta-  
tis causa legant. Rectius vero ipse vertit defunctorie secutus VLPIANVM  
in L. 2. §. 32. ad SCtum Tertull. et Imperat. SEVERVM et ANTONINVM  
in L. vnic. C. qui nunt. tut. Hanc vero formulam δοσίας χάριν explicat Desid.  
HERALDVVS Obseru. et Emend. Lib. cap. XIII. qui eam in religione saltem  
locum habere putat, et de iis dici, qui ex parte cultum religionis obser-  
uant atque eiusmodi spectra et Phantasmata in religione adhibent. Hi  
enim id δοσίας vel ἀφοσιώσεως χάριν facere dicuntur, quod exemplis probat.  
Quapropter censet, improprie a Modestino illa verba adhibita, qui rectius  
ex ipsius mente dixisset νόμου χάριν vel λόγου χάριν, vt habet Glossa  
PHILOXENI, seu dicis gratia, quam formulam eleganter exponit Abr.  
WIELING Lect. Iur. ciu. cap. I. Fecerat videlicet petendo tutorem ma-  
ter, vt paruisse videatur Constitutioni Diui Seueri et in fraudem legis  
egerat adhibita Phantasia aliqua, quae tutores nominauerat, qui vel ex-  
cusatione se tueri poterant, vel idonei non erant, quod PAVLVVS ex-  
primit in L. 29. π. de LL. qui saluis verbis legis sententiam eius circumue-  
niunt. Vbi vero in barbara interpretatione scriptum fuerat, puritatis gra-  
tia, ipse Heraldus in quibusdam legit prauitatis causa. Sed de hoc fati!


διὰ κακίαν.) Vertit barbarus propter malitiam. Ant. AVGVSTINVS b. I. vitio  
explicat, motus CICERONE de Fin. Lib. III. et Tuscul. Quaest. L. IV.  
Sed Iac. CVRTIVS ἐπισρεφῶν Lib. II. c. 28. interpretatur per dolum et in  
rem suam citat HARMENOPVLVM qui et τῆ κακίᾳ pro dolo vitur. Haec  
Curtii interpretatio eo magis placet, quod ἀμέλειαν culpam continet, vt  
adeo κακία dolum comprehendat necesse sit. Quid vero hoc sit, si vitio non  
petierit, nec exposuit Augustinus, nec commodum habet sensum.













riberet testator filios, testamentum postea rescinde-  
 relata inofficiosi testamenti, sicque intestatus decede-  
 re, vt ergo id euitaretur, remedium inuentum nonnulli  
 si inter viuos bona aliis donarent, quo facto si ni-  
 hil superesset, nihil veniret ad liberos, quibus anti-  
 quum remedium, cum testamentum haud adesset, do-  
 no inter viuos firmatae atque irreuocabiles essent, quo  
 bonis paternis consequi possent liberi. Patet id ex  
*inoffic. donat. ex verbis: Si, vt allegatis, mater ve-*  
*dendam inofficiosi querelam, pene vniuersas faculta-*  
*rum ageret in rebus humanis, factis donationibus siue*  
*liberos, siue in extraneos, exhaustis; caet.*


## §. IV.

anc ergo fraudem infringendam legi factam, quae  
 vim constituit, postea introducta est *querela in-*  
*officionis*, qua rescindebatur donatio in fraudem suc-  
 cessionis legitima facta. Argumentum huic iuri introdu-  
 ctum est *querela inofficiosi testamenti*. Hinc VALERIA-  
 NUS in *L. 2. C. de inoff. donat.* expresse re-  
 ducit *similitudinem inofficiosi testamenti querelae auxi-*  
*lium impertiet*. Porro Imp. DIOCLETIA-  
 NUS in *L. 4. C. eod.* hocce remedium ad  
 iudicatas donationes vocat *auxilium ad instar inoffi-*  
*cosi*. Amplius eidem in *L. 6. C. eod.* rescribunt: *De*  
*inoffic. donat. ad exemplum inofficiosi testamenti praeses*  
*iusdictionis suae partes exhibebit.*

## §. V.

restituatur ergo ab iis, qui in legitima immodica dona-  
 tione mortuo parente donatore, facta donatio inter  
 viuos.

A 3



the scale towards document

011

Serial No. 011